An. et vol. CVI 1 Augusti 2014 N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

LITTERAE DECRETALES

de peracta Canonizatione aequipollenti beati Petri Favre, S.I.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Beatus Petrus Favre inter Societatis Iesu sanctos praecipuum obtinet locum. Religiosus fuit, spiritalis vitae studiosus, homo nempe Dei, qui precationem effecit veluti micans cor suae exsistentiae atque cardinem assidui in tota Europa apostolatus.

Die XIII mensis Aprilis anno MDVI parvo in pago Sabaudiae, qui est *Le Villaret*, natus est, atque praecipua vitae christianaeque doctrinae rudimenta a familia recepit. Lutetiam Parisiorum se contulit studia confecturus atque in philosophia licentiam adepturus, deinceps titulum Magistri artium consecuturus. Ibidem sanctum Franciscum Xavier convenit et sanctum Ignatium de Loyola. Ad primum coetum pertinuit octo sodalium, qui effecerunt ut Societas Iesu oriretur. Una cum illis die XV mensis Augusti anno MDXXXIV temporanea vota apud Montem Martyrum nuncupavit. Lutetiae Parisiorum, sancto Ignatio in Hispaniam profecto, dux ipse fuit atque partim confessarius, celebrans et spiritalis moderator illorum Iesuitarum. Cum suas propter intellectus spiritusque facultates experientiasque primis a Sociis summopere aestima-

retur, effecit ut Societas cognosceretur et novi sodales asciscerentur. Sicut sacerdos Favre operam dedit ut Dei amorem ac misericordiam homines perciperent. Suo in presbyterali famulatu nihil aliud esse voluit, nisi ut magis magisque humile fieret in Domini manibus instrumentum. Sua vita suoque exemplo docuit duas res a nobis expetere Christum, ut continenter nos ad caelum elevaremus spiritum atque porro in nos ingrederemur ad Ipsum inveniendum. Apud eum spiritalis discretio praetermittere non poterat quin omnes res Dei sub lumine considerarentur atque ea ex re necessitas oriretur se contuendi, propriae infirmitatis crucem suscipiendo. Postquam nequiquam Terram Sanctam adire conatus, ad primum communitatis vitae propositum, suis cum Sociis Romam se contulit, ab anno MDXXXVIII Summi Pontificis se tradens voluntati. Sic a Summo Pontifice Paulo III munus recepit Romae in studiorum Universitate *Sapientia* docendi. Idem Summus Pontifex summae prudentiae apostolicas politicasque inter Nationes missiones ei demandavit atque eum Parmam misit, ubi beatus praedicandi sustinuit officium, cum ad peccata saepe confitenda et Communionem, ad apostolatum erga pauperes aegrotosque homines invitaret, atque sancti Ignatii spiritales exercitationes egit. Hac in urbe nonnullos sacerdotes sustinuit atque cum illis Confraternitatem Nominis Iesu condidit, quae praecursoria est habenda Marialium Consociationum. Praecipua qualitas ipsius beati Petri Favre prompta fuit oboedientia «ad exeundum de terra» et ad eundum quo eum vocabat Summus Pontifex. Hoc oboedientiae animo eius apostolatus concludebatur, qui mirabili virtutum apparatu alebatur. Inter has humilitas eminebat. Animas ipse est moderatus non sicut omnia sciens, sed comitans, auscultans et pro eis precans, non sibi sed Deo fisus. Quod perfectam humilitatem obtinere cupiebat, quodque personale diarium, *Memoriale*, est testatum, id non moderabatur affectata eius perfectio, sed potius in proximum amor ac desiderium sese Domino crucifixo conformandi. Apud sanctum Ignatium de Loyola legimus: «ad imitandum Christum Dominum nostrum, utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere, quam divitias; opprobria cum Christo pleno opprobriis quam honores; et magis desidero aestimari vanus et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam sapiens ac prudens in hoc mundo» (*Exercitia spiritualia*, 167).

Sancti Ignatii exercitiis spiritalibus efformatus, Favre continenter in humilitate institit ideoque sua interior libertas adolevit, quae effecit ut res adversas tamquam gratiam acciperet. Hac alta humilitate munitus, beatus Petrus agnovit quo pacto Consilia evangelica, sicut peculiaris ratio cum Deo cooperandi, habeant pondus in virtutibus theologalibus amplificandis: oboedientia fidem roborat, paupertas spem auget, castitas amorem acuit. Eius vita intellegere possumus quemadmodum ei oboedientia significaverit perduci sicut Abraham, oboedientia scilicet fidei quae eum fecit instrumentum, omnia opera bona acturum. Id factum est artam ob necessitudinem cum Christo crucifixo eiusque ob oboeditionis imitationem «usque ad mortem, mortem autem crucis» (*Philp* 2, 8) constitutam. Anno MDXL, rursus Summo Pontifice imperante, Germaniam petivit, ubi colloquia participavit quae Vormatienses pactiones genuerunt. In vero spiritali oecumenismo reconciliationis fraternitatisque vixit. Cum iam studiorum curricula Lutetiae Parisiorum ageret, Lutheri opinationes attigit. Inter primos ille annumeratur, qui per reformatam cleri vitam Lutheranas opiniones debellare cuperent, de necessitate sibi conscius ad primigeniam Ecclesiam redeundi, videlicet ad vivendi Iesu rationem. Complura diplomatica officia absolvit eodemque tempore docuit et in tota Europa est concionatus, in Germania, tum in Lusitania, tum in Hispania, rursus in Italia, ubi anno MDXLVI sicut Peritus Theologus ad Concilium Tridentinum participandum vocatus est. Mense Iulio eiusdem anni Romam rediit, ubi die I mensis Augusti laboribus morboque correptus, pientissime e vita excessit.

Altissimae spiritalitatis sacerdos, inter praecipua suae vitae opera communionem cum Domino colendam putabat. Mire quam hoc studium illis transferebat spiritalia exercitia agentibus, quae sancti Ignatii ex ingenio oriuntur. Mirabiliter ipse effecit ut sive per praedicationem, sive per exercitia auditores intellegerent fundamentum fidei itineris in precationis vita niti, unde ad vitam missionariam, ampliore sensu consideratam, vocatio manat. Apostolicum studium inter praecipuas spiritales eius qualitates adscribitur. Quo magis beatus Petrus Favre Dei Spiritu imbuebatur, eo magis in libertate et interiore claritate progrediebatur atque apostolico item operi se dicare poterat. In eo operis precationisque, actionis contemplationisque frugifera facta est commixtio. Precatio opus sustinebat idque frugiferum reddebat,

studiosum opus eum ad precandum impellebat eundemque ad se Deo in fide impensius committendum. Haec omnia ad maiorem Dei gloriam et ad maiorem hominum salutem, eo quod vivere, docere ac praedicare potuit, quandoquidem ante omnia se esse sicut Christi cor conatus est, scilicet Dei cor quod se propter amorem «exinanivit». Sic eius cor eiusque mens tendebantur ac sancte inquietabantur, quod est eius qui Deum quaerere non cessat, ut Eum inveniat atque inventum ut adhuc semperque quaerat. Sibi sancti Augustini verba adscripsit, quae volunt: orare ut desideretur ac desiderare ut cor dilatetur, ita ut in Deo residat. Homo hic Dei Christi fragrantiam quoquoversus diffudit, ideo suas propter insignes virtutes et apostolatus ubertatem sibi admirationem conciliavit; aliis verbis sanctus in vita, in morte et post mortem habitus est atque eius memoria cultui nexa est, quem Dei populus sua sponte ei tribuit, qui confestim ei beati titulum impertivit.

Episcopus Anneciensis Societatis Iesu rogatu, mense Iunio anno MDCCCLXIX, Processus de sanctitatis fama cultuque ab immemorabili tempore praestito est incohatus. Beatus Pius IX, die V mensis Septembris anno MDCCCLXXII publicum cultum confirmavit, qui saeculorum decursu numquam est intermissus. Propter nuper admotas preces, quas Superior Generalis Societatis Iesu, P. Adolfus Nicolas, et Anneciensis Episcopus, Venerabilis Frater Ivo Boiveneau adhibuerunt, Nos Ipsi, audito Venerabili Fratre Nostro Angelo S.R.E. Cardinale Amato, Praefecto Congregationis de Causis Sanctorum, facultatem fecimus ut ad hanc rem procederetur. Parata *Positione super canonizatione aequipollenti*, cum plane comprobarentur virtutes heroum in modum exercitae et fama signorum quam beatus est circumfusus, casus die VIII mensis Octobris anno MMXIII a Consultoribus Historicis felici cum exitu est pervestigatus, tum a Consultoribus Theologicis die IX mensis Novembris anno MMXIII est perpensus, qui agnoverunt eiusdem heroicas virtutes. Sic porro iudicarunt Patres Cardinales Episcopique in Sessione Ordinaria die XVII mensis Decembris anno MMXIII.

Itaque, eodem die omnibus mature perpensis et certa scientia, divino auxilio invocato, sententiam Congregationis de Causis Sanctorum ratam habuimus et statuimus item ut cultus, huic strenuo sancti Ignatii de Loyola discipulo, nunc et deinceps ad totam Ecclesiam deferretur. Itaque ad Dei

gloriam, ad exaltationem fidei et vitae christianae incrementum, apostolica Nostra ex auctoritate decernimus ut Petrus Favre, Societatis Iesu sodalis, sanctus sit et statuimus ut Sanctorum Catalogo adscribatur ac pia devotione recoli et inter Sanctos Ecclesiae Universalis invocari debeat.

Volumus tandem ut haec Nostra deliberatio firma sit, immutabilis et irrevocabilis, atque exoptamus item ut laetanter et gratanter seu ab Ecclesiae pastoribus seu a fidelibus recipiatur, qui, lumen contemplantes quod ex virtutibus ac spiritali sapientia sancti Petri Favre manat, in Christum Crucifixum, Filium Dei hominisque Redemptorem amore magis ac magis flagrent ipsique, mirabilia sanctitatis eius exempla imitantes, in communione cum sanctis Apostolis Petro et Paulo omnibusque aliis caeli incolis alacriter in sanctitudinis semita procedere possint.

Datum Romae apud S. Petrum, die septimo decimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri primo.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

MISERANDO ATQVE ELIGENDO
SCTVS PETRVS SCTVS PAVLVS
FRANCISCVS PP

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 21.994

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SANCTI IOANNIS BAPTISTAE CURITIBENSIS UCRAINORUM

In Brasilia Eparchia Sancti Ioannis Baptistae Curitibensis Ucrainorum ad gradum Archieparchiae Metropolitanae evehitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Attenta deliberatione Synodi Episcoporum Ecclesiae Graeco-Catholicae Ucrainae evehendi Eparchiam Sancti Ioannis Baptistae Curitibensem Ucrainorum in Brasilia degentium ad gradum Archieparchiae, perpensa petitione officiali Archiepiscopi Maioris atque audita faventi sententia Conferentiae Episcoporum Statuum Paranensis et Sanctae Catharinae in Brasilia necnon Legati Pontificii, Nos, Successor beati Petri et universalis Pater, audito Venerabili Fratre Nostro S.R.E. Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, memoratam Eparchiam Sancti Ioannis Baptistae Curitibensem Ucrainorum ad gradum Archieparchiae Metropolitanae evehimus. Huius quidem novae Archieparchiae tam titulus quam patronus uti hactenus servantur. Ecclesia Cathedralis efficitur Archieparchialis atque residentia Archiepiscopi et conclavia Curiae eadem in sede permanent. Omnes sacerdotes in Eparchiae territorio ministerium exercentes ipso facto Archieparchiae Metropolitanae incardinabuntur; simili modo seminarii alumni ex iisdem paroeciis provenientes novae circumscriptioni ascribentur. Insuper Venerabilem Fratrem Vladimirum Koubetch, Ordinis Basiliani a Sancto Iosaphat, antehac Episcopum eparchialem Sancti Ioannis Baptistae Curitibensem Ucrainorum, ad dignitatem Archiepiscopi Metropolitae promovemus, omnibus additis iuribus et obligationibus huic muneri adnexis ad normam Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium. Quae vero iussimus ad

effectum rite adducantur deque absoluto negotio documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo secundo mensis Maii, anno Domini bis millesimo decimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 48.001

II

IMMACULATAE CONCEPTIONIS PRUDENTOPOLITANAE UCRAINORUM

In Brasilia nova conditur Eparchia Immaculatae Conceptionis Prudentopolitanae Ucrainorum.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Quo aptius spirituali bono atque regimini Christifidelium Ucrainorum Byzantini ritus in Brasilia degentium consuleretur, visum est pro iisdem Eparchiam novam condere. Nos igitur in Apostolorum Principis cathedra constituti, audito consilio Venerabilis Fratris Nostri S.R.E. Cardinalis Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, re mature perpensa, summa Apostolica auctoritate condimus Eparchiam Immaculatae Conceptionis Prudentopolitanae Ucrainorum cunctis cum iuribus et obligationibus talium Ecclesiarum propriis; cuius Sedem eparchialem in urbe Prudentopoli ponimus in templo Communitatis loci *Vila Iguaçu* eamque suffraganeam facimus Sedi Metropolitanae Sancti Ioannis Baptistae Curitibensi Ucrainorum. Sive quidem spatium territoriale sive multitudo Christifidelium, sacerdotum religiosorum atque religiosarum inter Archieparchiam Metropolitanam et novam Eparchiam dimidiato numero distributa sunt. Insuper Patronam ac titularem novae Eparchiae declaramus Immaculatam Conceptionem. Eius autem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fient. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur, deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo secundo mensis Maii, anno Domini bis millesimo decimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 42.000

III

IZCALLIENSIS

Detractis quibusdam territoriis ab Ecclesia Cuautitlanensi, nova dioecesis conditur, Izcalliensis nomine.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Christi voluntate, qua in universum mundum Apostoli missi sunt ad Evangelium gentibus nuntiandum (*Mt* 28, 19), Nos quoque vehementer impellimur ut quandocumque, per aptiorem ecclesialium rerum dispositionem, maior facultas hominibus data erit verbum Dei audiendi Eiusque sanctissimam maiestatem adorandi, id studiose curabimus. Cum ergo Congregatio pro Episcopis, accepta postulatione Venerabilis Fratris Villelmi Ortiz Mondragón, Episcopi Cuautitlanensis, necnon sententia Conferentiae Episcopalis Mexicanae audita, id statuerit ut, distractis quibusdam territoriis ab Ecclesia Cuautitlanensi, nova quaedam constitueretur dioecesis, Nos, praehabito favoribili voto Venerabilis Fratris Christophori Pierre, Archiepiscopi titularis Gunelensis et in Mexico Apostolici Nuntii, hoc consilium probamus et sequentia decernimus et iubemus. Distractum territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum vulgo nuncupatorum *Nicolás Romero, Tepotzotlán* et *Cuautitlán Izcalli* a dioecesi Cuautitlanensi, in novae dioecesis formam redigimus *Izcalliensis* appellandae. Novae Ecclesiae sedem in urbe *Cuautitlán Izcalli* poni volumus, cuius templum paroeciale, Deo in honorem Sanctae Mariae Annuntiatae dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus. Eadem insuper in ecclesia Cathedrali instituatur, ad normam iuris, Capitulum Canonicorum. Nova praeterea dioecesis suffraganea erit Metropolitanae Sedi Tlalnepantlanae atque Episcopus Izcalliensis pro tempore subiciet metropolitico iuri Archiepiscopi eiusdem Ecclesiae Metropolitanae. Congruae sustentationi Episcopi novae dioecesis providebitur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione ei obveniente ex divisione, secundum canonem CXXII Codicis Iuris Canonici facienda, bonorum quae hactenus Mensae, vulgo *Mitra*, episcopali Cuautitlanensi ad memorata territoria pertinuerunt. Ut Pastori novae dioecesis in

eius regimine validum tribuatur adiutorium, Consilium Presbyterale, Collegium Consultorum et Consilium a rebus oeconomicis quam primum institui iubemus. Circa Seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium formationem, praescripta iuris communis serventur, prae oculis habitis normis et regulis a Congregatione pro Clericis statutis. Permanens insuper presbyterorum educatio apte procuretur. Cum vero fieri potest, electos sacerdotes ad studia complenda Romam mitti cupimus.

Simul cum Izcalliensis dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit eo ipso sacerdotes dioecesi illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte respiciunt a Curia Cuautitlanensi ad Curiam Izcalliensem, quam primum, transmittantur. Ad haec omnia perficienda deputamus memoratum Apostolicum Nuntium in Mexico, vel, ipso absente, negotiorum Sanctae Sedis ibidem gestorem; necessarias et opportunas iisdem tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die nono mensis Iulii, anno Domini bis millesimo quarto decimo, Pontificatus Nostri secundo.

De mandato Summi Pontificis

Petrus card. Parolin

Secretarius Status

Marcellus Rossetti; *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno; *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 48.902

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

De translatione Sectionis Ordinariae Administrationis Patrimonii Apostolicae Sedis ad Secretariam de Re Oeconomica.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam memoriam — Confermando una tradizione plurisecolare, l'ultimo Concilio Vaticano II ribadì la necessità di conformare l'organizzazione della Santa Sede alle necessità dei tempi, adeguando soprattutto la struttura dei Dicasteri della Curia Romana, il loro numero, denominazione e competenza, così come i loro modi di procedere e il reciproco coordinamento alle reali esigenze della Chiesa in ogni momento.

Un concreto risultato di tali principi è avvenuto con la promulgazione, il 24 febbraio 2014, della Lettera apostolica, in forma di *Motu Proprio*, *Fidelis Dispensator et Prudens*, col quale ho istituito la Segreteria per l'Economia come Dicastero della Curia Romana. Essa, tenendo conto di quanto stabilito dal Consiglio per l'Economia, ha come competenze il controllo economico e la vigilanza sui Dicasteri della Curia Romana, sulle Istituzioni collegate con la Santa Sede e sulle amministrazioni dello Stato della Città del Vaticano.

Ciò considerato, e accogliendo il parere dei Capi Dicastero interessati, ho ritenuto opportuno che la Segreteria per l'Economia assuma sin d'ora tra i suoi compiti istituzionali, d'accordo con le modalità e nei tempi che stabilisca il relativo Cardinale Prefetto, quelli che fino ad oggi erano attribuiti alla denominata «Sezione Ordinaria» dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica e, quindi, di trasferire al suddetto Dicastero le competenze che la costituzione apostolica *Pastor Bonus* del 28 giugno 1988 aveva affidato a detta Sezione dell'Amministrazione del Patrimonio della Santa Sede. Di conseguenza, l'Amministrazione del Patrimonio della Santa Sede non sarà più divisa in Sezioni e, in avvenire, svolgerà unicamente i compiti che finora erano a carico della *Sezione straordinaria*.

Di conseguenza, dopo aver esaminato con cura ogni questione riguardante la materia, e chiesto il parere dei Dicasteri competenti e di persone esperte, stabilisco e decreto quanto segue:

Art. 1

Il testo dell'articolo 172 della costituzione apostolica *Pastor Bonus* è integralmente sostituito dal testo seguente:

§ 1. Spetta a questo Ufficio di amministrare i beni di proprietà della Santa Sede destinati a fornire i fondi necessari all'adempimento delle funzioni della Curia Romana.

§ 2. L'Ufficio amministra anche i beni mobili ad esso affidati da altri enti della Santa Sede.

Art. 2

Il testo dell'articolo 173 della costituzione apostolica *Pastor Bonus* è integralmente sostituito dal testo seguente:

L'Ufficio è presieduto da un Cardinale, assistito da un determinato numero di Cardinali e da un Prelato Segretario.

Art. 3

Sono abrogati gli articoli 174 e 175 della costituzione apostolica *Pastor Bonus*.

Art. 4

Il Prefetto della Segreteria per l'Economia costituirà una Commissione tecnica con lo scopo di facilitare il trasferimento delle competenze finora attribuite alla Sezione Ordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica e determinerà, a partire della data odierna, come dovranno risolversi le questioni pendenti presso la suddetta Sezione Ordinaria fino al completo trasferimento effettivo dei compiti.

Tutto ciò che ho deliberato con questa Lettera apostolica in forma di *Motu Proprio*, ordino che sia osservato in tutte le sue parti, nonostante

qualsiasi cosa contraria, anche se degna di particolare menzione, e stabilisco che venga promulgato mediante la pubblicazione sul quotidiano *«L'Osservatore Romano»*, entrando in vigore il giorno stesso della promulgazione.

Dato a Roma, presso San Pietro, l'8 Luglio dell'anno 2014, secondo del Pontificato.

FRANCISCUS PP.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Servis Dei Emmanueli Basulto Jiménez, episcopo Giennensi, et V Sociis, martyribus, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum nec dimittam» (*Ct* 3, 4).

Ecclesia non cessat amorem cantare quo suo Sponso se coniungit, suis filiis suadens ut communionem cum Deo supra omnia quaerant iisque exemplar martyrum significans qui amorem Christi morte fortiorem consideraverunt. Itaque martyres vivum testimonium sunt magisterii Concilii Vaticani II: «Deus enim hominem vocavit et vocat ut Ei in perpetua incorruptibilis vitae divinae communione tota sua natura adhaereat» (*Gaudium et spes*, 18).

Hi sex martyres fidei confessionem manifestant qua dioecesana Ecclesia Giennensis respondit terribili temptationi persecutionem religiosam sequenti, quae his in regionibus, tam antiquae ac venerandae christianae memoriae, tot victimas tulit.

1. Emmanuel Basulto Jiménez, Episcopus Giennensis, natus est in loco *Adanero* (dioecesis Abulensis) die XVII mensis Maii anno MDCCCLXIX. Primis diebus persecutionis recusavit de urbe Giennensi fugere. In episcopali habitatione reclusus, die II mensis Augusti anno MCMXXXVI comprehensus est in propria ecclesia Cathedrali. Occisus est die XII mensis Augusti in loco *Vallecas*, prope Matritum, una cum pluribus decuriis captivorum, qui funeste celebri *Hamaxosticho Mortis* vehebantur. Ipse iugiter patuit, usque ad exitum, uti imago Boni Pastoris inter populum suum patientem.

2. Felix Pérez Portela, presbyter dioecesanus, Vicarius Generalis Giennensis, natus est in loco *Adanero* (dioecesis Abulensis) die XXI mensis Februarii anno MDCCCXCV. Indole benigna ornatus, spiritu altae et rectae fidei, paratus fuit ad sacrificium et renuntiationem, de quo totam per vitam suam testificationes cons-

tantes perhibuit. In custodia et martyrio noluit ab Episcopo suo umquam separari. Una cum ipso interfectus est die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco *Vallecas*, prope Matritum.

3. Franciscus Solís Pedrajas, presbyter dioecesanus, die IX mensis Iulii anno MDCCCLXXVII in loco *Marmolejo* natus est. Fuit parochus loci *Mancha Real* in dioecesi Giennensi. Cum apostolico fervore exercuit ministerium sacerdotale. Primis diebus religiosae persecutionis in Hispania apprehensus est et sub custodia positus in ecclesia Cathedrali Giennensi, ubi octo menses transegit, socios in vinculis consolans et confortans. Die IV Aprilis anno MCMXXXVII una cum aliis vinctis in coemeterium loci *Mancha Real* conductus est ibidemque occisus. Hoc supremo momento ipse cantum sacrum praecinuit, omnibus animum addens ad martyrium patiendum.

4. Franciscus de Paola López Navarrete, presbyter dioecesanus, die II mensis Martii anno MDCCCXCII in *Villanueva del Arzobispo* natus est. Fuit parochus loci *Orcera* in dioecesi Giennensi. Iam in vita propter spiritum orationis, sacerdotalem zelum, bonitatem spiritumque caritatis erga pauperiores peculiari sanctitatis fama eminuit. Dum domi sui patris convalescebat, correptus est et monitus ut imagines sacras delendas traderet. Renuit declarans se unam tantum vitam habere, eamque debere Deo. Interfectus est die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco *Beas de Segura*, dum clamabat: Vivat Christus Rex!

5. Emmanuel Aranda Espejo, Seminarii alumnus, die XXII mensis Martii anno MCMXVI in loco *Monte Lope Álvarez* natus est in familia agricolarum, catholica ac devota, in qua fidem accepit vocationemque sensit ad sacerdotium. Etiamsi tempus Ecclesiae esset inclemens, ingressus est Seminarium firmiterque progressus est hoc in itinere. Aestivo tempore, dum paternae domi vacabat, comprehensus est ac detentus in quadam cappella. Cum recusaret blasphemare aliave opera contra religionem suam perficere, interfectus est in loco *Martos* die VIII mensis Augusti anno MCMXXXVI.

6. Iosephus Maria Poyatos Ruiz, iuvenis laicus, die XX mensis Octobris anno MCMXIV in loco *Vilches* natus est. Associationibus Actionis Catholicae et Adorationis Nocturnae nomen dedit. Alta devotione eucharistica vitaeque probitate in opere explendo valde eminuit. Exclusus propter suam fidem catholicam, quam

aperte ac strenue profitebatur, a multis sociis in fabrica ubi operabatur, denique dimissus est. Comprehensus ac detentus domi suae, inde occisus est die III mensis Octobris anno MCMXXXVI in loco *Úbeda*, dum Christum Regem ore suo profitebatur.

Fama martyrii eorum diffusa est atque viva permansit. Quapropter apud curiam dioecesanam Giennensem perfecta est Investigatio dioecesana, quae approbata est a Congregatione de Causis Sanctorum. Die VIII mensis Ianuarii anno MMXIII in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi edixerunt eos verum martyrium esse passos. Demum Nos Ipsi die XXVIII mensis Martii anno MMXIII facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de martyrio promulgaret, ac deinde statuimus ut sollemnis ritus beatificationis Tarracone in Hispania die XIII mensis Octobris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur Tarracone de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Emmanuelem Basulto Jiménez, episcopum, et V eius Socios, martyres, in Beatorum numerum adscribimus:

«Nos, vota Fratrum Nostrorum Iesu García Burillo, Episcopi Abulensis, Alfonsi Milián Sorribas, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Aloisii S.R.E. Cardinalis Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Marii Iceta Gavicagogeascoa, Episcopi Flaviobrigensis, Iosephi Emmanuelis Lorca Planes, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Demetrii Fernández González, Episcopi Cordubensis, Iosephi Mariae Yangüas Sanz, Episcopi Conchensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Ioannis Piris Frígola, Episcopi Illerdensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Valera, Archiepiscopi Matritensis, Iesu Stephani Catalá Ibáñez, Episcopi Malacitani, Salvatoris Giménez Valls, Episcopi Minoricensis, Attilani Rodríguez Martínez, Episcopi Seguntini-Guadalaiarensis, Iacobi Pujol Balcells, Archiepiscopi Tarraconensis, Iosephi Angeli Saiz Meneses, Episcopi Terrassensis, Caroli Emmanuelis Escribano Subías, Episcopi Terulensis et Albarracinensis, Braulii Rodríguez Plaza, Archiepiscopi Toletani, Henrici Benavent Vidal, Episcopi Dertosensis,

Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Valentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Servi Dei: Iosephus Maximus Moro Briz et IV Socii, presbyteri dioecesani; Maurus Palazuelos Maruri et XVII Socii, ex Ordine Sancti Benedicti; Iacobus Puig Mirosa et XVIII Socii, e Congregatione Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, necnon Sebastianus Llorens Telarroja, laicus; Maria a Monte Serrato (in saeculo: Iosepha Maria Columnaris García Solanas) et VIII Sociae, religiosae professae Instituti Minimarum Discalceatarum Sancti Francisci de Paula, necnon Lucretia García Solanas, laica et vidua; Mauritius (in saeculo: Alexander) Íñiguez de Heredia Alzóla et XXIII Socii, religiosi professi ex Ordine Hospitalario Sancti Ioannis de Deo; Iosephus Guardiel Pujol, presbyter dioecesanus; Raimundus Ioachimus Castaño González et Iosephus Maria González Solís, presbyteri professi ex Ordine Fratrum Praedicatorum; Antonius Faúndez López, presbyter, et unus Socius, professi ex Ordine Fratrum Minorum, necnon duo presbyteri dioecesani; Hermenegildus ab Assumptione B.M.V. (in saeculo: Hermenegildus Iza y Aregita) et V Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis; Carmelus Maria Moyano Linares et IX Socii, presbyteri professi ex Ordine Carmelitarum; Iosephus Xavier Gorosterratzu et V Socii, e Congregatione Sanctissimi Redemptoris; Emmanuel Basulto Jiménez, Episcopus Giennensis, necnon III presbyteri dioecesani, unus seminarii alumnus et unus laicus; Victoria a Iesu (in saeculo: Francisca Agnes Maria ab Antiqua) Valverde González, religiosa Pii Instituti Calasanctiani Filiarum a Divina Pastora; Salvius Huix Miralpeix, Episcopus Illerdensis; Iosephus Nadal i Guiu et Iosephus Jordán Blecua, presbyteri dioecesani; Ioannes a Iesu (in saeculo: Vilaregut Farré) et III Socii, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, necnon Paulus Segalá Solé, presbyter dioecesanus; Marianus Alcalá Pérez et XVIII Socii, ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum; Chrysanthus (in saeculo: Casimirus González García), Aquilinus, Cyprianus Iosephus et LXIII Socii, ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis, necnon Raimundus Aemilianus Hortelano Gómez et Iulianus Aguilar Martín, laici; Emmanuel a Sacra Familia (in saeculo: Emmanuel Sanz Domínguez), presbyter pro-

fessus et reformator Ordinis Sancti Hieronymi; Andreas a Palazuelo (in saeculo: Michael Franciscus González González) et XXXI Socii, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum; Theophilus Fernández de Legaría Goñi et IV Socii, presbyteri professi e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris; Albertus Maria Marco Alemán et VIII Socii, ex Ordine Carmelitarum ab Antiqua Observantia, necnon Augustinus Maria García Tribaldos et XV Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum; Orentius Aloisius (in saeculo: Antonius Sola Garriga) et XVIII Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Antonius Mateo Salamero, presbyter dioecesanus, et Iosephus Gorostazu Labayen, laicus; Melchiora ab Adoratione Cortés Bueno et XIV Sociae, e Societate Filiarum a Caritate Sancti Vincentii de Paul; Aurelia (in saeculo: Clementina) Arambarri Fuente et III Sociae, religiosae professae Congregationis Servarum Mariae Ministrantium Infirmis; Maria Assumpta (in saeculo: Iuliana González Trujillano) et II Sociae, religiosae professae Congregationis Missionariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris; Ioannes Huguet Cardona, presbyter dioecesanus; Iosephus Maria Ruiz Cano, Iesus Hannibal Gómez Gómez, Thomas Cordero Cordero et XIII Socii, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V.; Emmanuel Borrás i Ferré, Episcopus Auxiliaris Tarraconensis, Agapitus Modestus (in saeculo: Modestus Pamplona Falguera), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, et CXLV Socii, presbyteri et Seminarii alumni dioecesani, necnon religiosi ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, ex Ordine Sancti Benedicti, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V., e Tertio Ordine Carmelitarum a Magisterio; Fortunatus Velasco Tobar et XIII Socii, e Congregatione Missionis; Ioachimus Jovaní Marín et XIV Socii, e Sodalitate Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu; Richardus Gil Barcelón, presbyter professus e Congregatione Parvi Operis a Divina Providentia, necnon Antonius Arrué Peiró, laicus; Iosepha Martínez Pérez et XI Sociae, e Congregatione Filiarum a Caritate, necnon Dolores Broseta Bonet, laica; qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt ad testimonium perhibendum Domino Iesu, Beatorum no-

mine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo tertio mensis Octobris, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
✠ Petrus Parolin
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 20.934

II

Venerabili Servo Dei Aloisio Novarese Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam — «In multitudine sollicitudinum mearum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam» (*Ps* 94, 19).

Artus et perpetuus nexus cum dolore factus est in spiritualitate presbyteri Aloisii Novarese non amplius mera afflictionis ratio, sed praecipuum instrumentum cum Domino necessitudinis. Etenim natura humana dolore suam ad essentiam evecta, tantum in Deo potest sui ipsius rationem suamque pacem invenire.

Apud *Casale*, provinciae Alexandriae Statiellorum, die XXIX mensis Iulii anno MCMXIV ipse est natus, postremus e novem filiis; usque infans corporis et spiritus dolorem noverat. Unum annum natus, patre est orbatus et matri erat difficilem familiarem condicionem gerere; numquam tamen filiis solida et serena institutio humana et religiosa deerat. Novem annos natus, post casum, coxitem tuberculosam contraxit, quae fere eum ad vitae finem conduxit et a qua mirificum in modum, Virgine Auxiliatrice intercedente, est sanatus, postquam Venerabilis Servus Dei eam profunda in oratione invocaret, suam offerens in ministerium Domini vitam. Primum voluit se aliis dicare munus exercens medici, sed repentina matris mors in eo signa sacerdotalis vocationis manifestavit.

Veluti alumnus igitur Almum ingressus est Collegium Capranicense et postea Pontificiam frequentavi Studiorum Universitatem Gregorianam. Die XVII mensis Decembris anno MCMXXXVIII sacerdos est ordinatus. Curricula sua absolvere pergebat, licentiam in theologia consequens, lauream in iure canonico atque diploma advocati rotalis. Suam ob indolem aestimatus, in Secretariam Status est vocatus ut opus exerceret. Mense Maio anno MCMXLIII condidit *Societatem Sacerdotalem Marianam* ut aptiore modo presbyteros iuvaret aegrotantes atque in difficultatibus versantes. Die XVII mensis Maii anno MCMXLVII, una cum sorore Elvira Miryam Psorulla, *Institutum Volun-*

tariorum Doloris fundavit, structuram videlicet in qua novam concepit et expertus est pastoralem et spiritalem erga infirmos rationem in qua ipsi non solum obiectum curae et caritatis erant, sed etiam subiectum activum evangelizationis experientia doloris auctae. Piam etiam societatem cui nomen *Silentes a Cruce Operarii* condidit, sodalitio constitutam sacerdotum et laicorum, tum sanorum tum aegrotorum, qui per Virginem Mariam suum offerebant dolorem veluti spiritale praedicationi subsidium. *Fratres et Sor ores Infirmorum* etiam fundavit, sanos videlicet qui propriam operam in apostolatu dabant ad iuvandos aegrotantes eorum in necessitatibus. Dedit deinde vitam *Fratribus Effectivis Silentium a Cruce Operariorum et Episcoporum Congregatorum* ut apostolatum exercerent evangelizationi prospiciens et ipsi dolori maius pondus praebendo. Venerabilis Servus Dei ut suum promoveret apostolatum variis instrumentis communicationis socialis usus est, inter quae etiam commentariis menstruis *L'Ancora* atque anno MCMXLIX transmissione radiophonica *Il quarto d'ora della serenità*. Multas paravit inter infirmos congressiones et peregrinationes; sollicitus tamen erat etiam de aedificandis laboratoriis analysis et institutis recuperandis infirmis nec non de missionibus inter leprosos. Eius eiusque consociationum praesentia facta est instrumentum comparationis et consolationis in plurimis valetudinariis et institutis clinicis. In Ecclesia multa exercuit officia ad aegrotorum iura tuenda. Mane die XX mensis Iulii anno MCMLXXXIV, postquam statuam oscularetur Virginis Lapurdensis, quam totam per vitam pie coluit, atque actum consecrationis Virgini Sanctissimae recitaret, suaviter in Domino obdormivit.

Ob sanctitatis famam quae eum in vita comitabatur, Episcopus Tusculanus die XVII mensis Decembris anno MCMLXXXIX Processum incohavit, quem Congregatio de Causis Sanctorum Decreto die XX mensis Novembris anno MMIV validum agnovit. Die XIX mensis Decembris anno MMVIII Consultores Theologi in Congressu peculiari edixerunt Venerabilem Servum Dei virtutes heroicum in modum exercuisse. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die VIII mensis Februarii anno MMX eandem sententiam protulerunt. Summus Pontifex Benedictus XVI facultatem igitur Congregationi de Causis Sanctorum dedit ut Decretum die XXVII mensis Martii anno MMX promulgaret.

Praebita est deinde asserta quaedam mira sanatio, quam Consilium Medicorum die XIII mensis Ianuarii anno MMXI sub luce scientiae medicae inexplicabilem agnovit. Consultores Theologi die VII mensis Iunii eiusdem anni circa attributionem sanationis intercessioni Venerabilis Servi Dei affirmative responderunt. Etiam Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XV mensis Novembris anno MMXI congregati idem censuerunt. Summus Pontifex Benedictus XVI facultatem Congregationi de Causis Sanctorum dedit ut Decretum *super miraculo* die XIX mensis Decembris anno MMXI promulgaret atque decrevit ut Beatificationis ritus die XI mensis Maii anno MMXIII Romae perageretur.

Hodie igitur Romae de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Tharsicius S.R.E. Cardinalis Bertone, S.D.B., Secretarius Status itemque S.R.E. Camerarius, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Aloisium Novarese adscribimus:

«Nos, vota Fratris Nostri Raphaëlis Martinelli, Episcopi Tusculani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Aloisius Novarese, presbyter, fundator Piae Societatis cui nomen Silentes a Cruce Operarii ac Instituti Voluntariorum Doloris, apostolus aegrotantium, indefessus testis salvifici valoris doloris plenaeque participationis aegrotorum in Ecclesiae missione, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima mensis Iulii, qua in caelum ortus est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Clarus hic vir diligentem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem, atque insignia dedit pietatis testimonia. Dum illius conspicimus vitam, qui Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter est secutus, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitamur.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Maii, anno Domini MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
✠ Petrus Parolin
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 21.111

HOMILIA

In platea ante Regiam Domum Casertae Eucharistia celebrata est.*

Gesù si rivolgeva ai suoi ascoltatori con parole semplici, che tutti potevano capire. Anche questa sera – l'abbiamo sentito – Egli ci parla attraverso brevi parabole, che fanno riferimento alla vita quotidiana della gente di quel tempo. Le similitudini del tesoro nascosto nel campo e della perla di grande valore vedono come protagonisti un povero bracciante e un ricco mercante. Il mercante è da tutta la vita alla ricerca di un oggetto di valore, che appaghi la sua sete di bellezza e gira il mondo, senza arrendersi, nella speranza di trovare quello che sta cercando. L'altro, il contadino, non si è mai allontanato dal suo campo e compie il lavoro di sempre, con i soliti gesti quotidiani. Eppure per ambedue l'esito finale è lo stesso: la scoperta di qualcosa di prezioso, per l'uno un tesoro, per l'altro una perla di grande valore. Entrambi sono accomunati anche da un medesimo sentimento: la sorpresa e la gioia di aver trovato l'appagamento di ogni desiderio. Infine, tutti e due non esitano a vendere tutto per acquistare il tesoro che hanno trovato. Mediante queste due parabole Gesù insegna che cosa è il regno dei cieli, come lo si trova, cosa fare per possederlo.

Che cosa è il regno dei cieli? Gesù non si preoccupa di spiegarlo. Lo enuncia fin dall'inizio del suo Vangelo: «Il regno dei cieli è vicino»; – anche oggi è vicino, fra noi – tuttavia non lo fa mai vedere direttamente, ma sempre di riflesso, narrando l'agire di un padrone, di un re, di dieci vergini... Preferisce lasciarlo intuire, con parabole e similitudini, manifestandone soprattutto gli effetti: il regno dei cieli è capace di cambiare il mondo, come il lievito nascosto nella pasta; è piccolo ed umile come un granello di senape, che tuttavia diventerà grande come un albero. Le due parabole sulle quali vogliamo riflettere ci fanno capire che il regno di Dio si fa presente nella persona stessa di Gesù. È Lui il tesoro nascosto, è Lui la perla di grande valore. Si comprende la gioia del contadino e del

* Die 26 Iulii 2014.

mercante: hanno trovato! È la gioia di ognuno di noi quando scopriamo la vicinanza e la presenza di Gesù nella nostra vita. Una presenza che trasforma l'esistenza e ci rende aperti alle esigenze dei fratelli; una presenza che invita ad accogliere ogni altra presenza, anche quella dello straniero e dell'immigrato. È una presenza accogliente, è una presenza gioiosa, è una presenza feconda: così è il regno di Dio dentro di noi.

Voi potrete domandarmi: *come si trova il regno di Dio?* Ognuno di noi ha un percorso particolare, ognuno di noi ha la sua strada nella vita. Per qualcuno l'incontro con Gesù è atteso, desiderato, cercato a lungo, come ci viene mostrato nella parabola del mercante che gira il mondo per trovare qualcosa di valore. Per altri accade all'improvviso, quasi per caso, come nella parabola del contadino. Questo ci ricorda che Dio si lascia incontrare comunque, perché è Lui che per primo desidera incontrare noi e per primo cerca di incontrarci: è venuto per essere il «Dio con noi». E Gesù è fra noi, Lui è qui oggi. L'ha detto Lui: quando voi siete riuniti nel mio nome, io sono fra voi. Il Signore è qui, è con noi, è in mezzo a noi! È Lui che ci cerca, è Lui che e si fa trovare anche da chi non lo cerca. A volte Egli si lascia trovare nei luoghi insoliti e in tempi inattesi. Quando si trova Gesù se ne rimane affascinati, conquistati, ed è una gioia lasciare il nostro consueto modo di vivere, talvolta arido e apatico, per abbracciare il Vangelo, per lasciarci guidare dalla logica nuova dell'amore e del servizio umile e disinteressato. La Parola di Gesù, il Vangelo. Vi faccio una domanda, ma non voglio che voi rispondiate: quanti di voi ogni giorno leggono un brano del Vangelo? Ma quanti di voi, forse, si affrettano a finire il lavoro per non perdere la telenovela... Avere il Vangelo tra le mani, avere il Vangelo sul comodino, avere il Vangelo nella borsa, avere il Vangelo il tasca e aprirlo per leggere la Parola di Gesù: così il regno di Dio viene. Il contatto con la Parola di Gesù ci avvicina al regno di Dio. Pensate bene: un Vangelo piccolo sempre a portata di mano, si apre in un punto a caso e si legge cosa dice Gesù, e Gesù è lì.

Cosa fare per possedere il regno di Dio? Su questo punto Gesù è molto esplicito: non basta l'entusiasmo, la gioia della scoperta. Occorre anteporre la perla preziosa del regno ad ogni altro bene terreno; occorre mettere Dio al primo posto nella nostra vita, preferirlo a tutto. Dare il primato a

Die 31 mensis Augusti anno 1945 Servus Dei Mediolanum rediit et renovato ardore ad docendi laborem contulit ingenium, sic nationis tam moralem quam civilem restitutioni interfuit, interveniens Actionis Catholicae missionibus religiosis et socialibus politicaque officia non dedignans. In primis suffragiis pro municipali Mediolanensi administratione auctor electus est et anno 1946 in primo Nationali Congressu Christianae Democratiae consultor nationalis et in numero superiorum moderatorum electus est. Eodem anno etiam in Coetu ad Constitutionem conscribendam cooptatus est, in quo multum contulit peritia sua in sessionibus ad Rei Publicae Italicae Constitutionis conformandam, anno 1948 factus est popularis legatus legibus ferendis. Navavit operam ad institutionem fovendam, sicut in operibus, quae dicuntur: *Consociatio doctrinae politicae «Civitas Humana»* aut *Coetus «Ministrare»* de quo ortum curavit periodicumque *«Socialium Chronicarum»* fundavit. Anno 1953 se ab omni rei publicae cura abduxit, ministrans tamen in aliquibus muneribus diaconalibus et sucipiens ductum actorum diurnorum catholicorum, quae nomen habebant «*Italia*».

In eius praestanti ingenio inveniri datur omnia elementa laicorum spiritualitatis, quae autem profecto in fulgido magisterio Concilii Vaticani II plane expressura erant. Vir magna humanitate et solida doctrina, Iosephus Lazzati semper agebatur secundum fidem et magnam in rebus divinam providentiam percipiebat, hunc animi habitum alebat oratione, meditatione et studio. Spiritualitas eius super Christi doctrinam et imaginem omnino fundabatur et quae in mysterio paschali complectitur, qua re ab eo fere ascetico regimine vitam, secundum exemplum crucis, maxime in angustioribus degebat. Ex commentatione Sacrarum Scripturarum et ex sacramento Eucharistiae, quod ille cotidie hauriebat et quod per diuturna intervalla ante tabernaculum venerabatur, Servus Dei sumpsit vim ad cotidianum exercitum virtutum et spe industriosissimam operam suam maxime *politicis in caritatibus* redintegravit.

Anno 1968 Mediolanensis Universitatis Catholicae Sacri Cordis electus est rector. Servus Dei, studentium motibus controversiarum flagrantibus,

rector quinquies per triennium munere usque ad annum 1983, confirmatus est. Eo rectore, «Universitas Italorum Catholicorum» valde propagabatur et novis propositis assidue sollicitabatur praecipue in dialogis inter scientiam et fidem aut in sollicitudine de rebus et quaestionibus socialibus denique in vinculo actionis cum Italica Ecclesia. Quamdiu Universitatem rexit, vocationibus favit, expleto autem rectoris munere, consociationem dictam «*Civitas hominis*» ad publicam utilitatem et ad hominis perfectionem, politicis instrumentis constitutam, fundavit. Die 18 mensis Maii anno 1986, insanabili morbo, quo iam aliquibus annis cruciabatur, mortuus est.

Fama sanctitatis eius, a die 17 mensis Decembris anno 1994 ad diem 14 mensis Decembris anno 1996 iuxta Curiam Mediolanensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 8 mensis Octobris anno 1997 approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est secundum normas an Servus Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Die 7 mensis Octobris anno 2011 habitus est, positivo cum exitu, Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi die 4 mensis Iunii anno 2013 Ordinaria in Sessione congregati, me Cardinale Angelo Amato presidente, Servum Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales et adnexas excoluisse agnoverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Lazzati, Laici consecrati, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2013.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servarum Dei Mariae Assumptae (in saec.: Iulianae González Trujillano) et II Sociarum Religiosarum Professarum Missionariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris († 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Iesus pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera throni Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes» (*Hebr* 12, 2-4).

Serva Dei Maria Assumpta eiusque Sociae Elisabeth et Gertrudis, Religiosae professae ex Instituto Matritensi Sororum Sancti Francisci Missionariarum a Matre Divini Pastoris, sincere ac benigne Apostoli adhortationem adhibuerunt quae, enim, extremo probationis tempore, salutis minime spe abiecta, Christi eiusque Ecclesiae summopere dederunt testimonium atque infaustis in persecutionis religiosae illius adiunctis acerrimis civili belli actibus devinctae, quod in Hispania inter annos 1936 et 1939 grassatum est, sanguinem fuderunt.

Nam, rege in exsilium eiecto ac Republica in Hispania renuntiata, quamvis Ecclesia in novo illo gubernationis regimine fovendo promptam revera sese praebuisset, vix mense post tamen asseclae peculiarium opinionum, quae omnem singulorum proprietatem maxime denegabant summamque rei publicae licentiam fovebant, secretae massonum societati adhaerentes vehementem religiosorum laicorumque irritarunt vexationem. Rerum politicarum civiliumque adiuncta exceptionibus in dies asperioribus usque in flagitium adeo incruduerunt, ut acta contra christifideles atque Ecclesiam citius multiplicarentur et immani contentionis erga opera hominesque ferocia viderentur suffulta. Peculiarem propter gravitatem suam inter urbes Hispaniae, Matritum presbyterorum, religiosorum laicorumque improbissimae caedis summatim commissae fuit locus.

E quibus martyrio suo eminent Servae Dei hae Sorores Sancti Francisci Missionariae a Matre Divini Pastoris, quarum vita et opera brevi, qui sequitur, indiculo perstringitur:

Maria Assumpta González Trujillano (in saec.: Iuliana) die 19 mensis Iunii anno 1881 in loco *El Barco* prope Abulam nata est. Die 18 mensis Februarii anno 1903 novitiatum ingressa est et, anno 1905, professionem temporaneam emisit, Sororis Mariae Assumptae sumens nomen. Votis perpetuis anno 1910 professis, probatissima in diversis communitatibus fuit magistra. Ultimum tempus vitae in Domo Generali Matritensi vixit, ubi sacristae et oeconomae ei commissa sunt officia.

Elisabeth Remiñán Carracedo (in saec.: Maria a Consolatione) die 17 mensis Iunii anno 1876 in loco *Seavia de Coristanco* prope Cruniam nata est. Die 19 mensis Novembris anno 1905 novitiatum ingressa, biennio post, die 12 mensis Decembris anno 1907 vota temporanea emisit, anno 1912 perpetua.

Gertrudis Llamazares Fernández (in saec.: Dorothea) die 6 mensis Februarii anno 1870 in vico *Cerezales* prope Legionem nata est. Anno 1896 novitiatum ingressa est.

Cum hispanicarum urbium caput illud tantis crudelis saevaeque coercitionis umbris obnubilari incepit, Soror Maria Assumpta, Domo Generali relicta, apud sedem exterae cuiusdam legationis elabi contendit, sed in itinere recognita arrepta est et, in carcerem «*checa de Fomento*» ducta, interempta.

Eodem fato aliae duae usae sunt Sorores Mariae Assumptae sociae: Elisabetham, enim, quae propter morbum faciei in valetudinario recepta erat, armigeri seditiosi abstulerunt et die 6 mensis Augusti anno 1936 crudeliter enecuerunt; Gertrudem, quae mense Iulii anno 1936 apud domum amicorum quorundam confugerat, die 13 mensis Augusti una cum presbytero et alia muliere arrepta est et, sicut videtur, eodem die perempta.

Servae Dei tantum propter christifidelium et religiosarum statum suum plumbis transfossae sunt. Licet fidem suam testimonium satis esse ad mortem omnino consciae essent, omnes, tamen, qui extremarum horarum de visu fuerunt testes, earum aequitatem animi, remissionem et fortitudinem in vexatione una voce collaudant. Amor Christi enim et fidelitas erga professionem religiosam numquam illis defecerunt; sed in opiniones omni humanitatis adfectui infensas oppetendas vi compulsae et se Christum super

viam crucis sequi velle firmiter fretae, nullam coram carnificibus ostenderunt dubitationem, cum indefessa in corde earum voluntatis Dei esset fiducia.

Super harum Servarum Dei martyrium, cuius fama in communitatem ecclesialem admodum incessit, apud Curiam Archiepiscopalem Matritensem a die 27 mensis Septembris anno 1999 ad diem 15 mensis Octobris anno 2000 Inquisitio dioecesana celebrata est, quam Inquisitio Rogatorialis apud Curiam Episcopalem Auriensem die 7 mensis Februarii anno 2000 inita secuta est, quarum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 25 mensis Ianuarii anno 2002 probatae sunt. *Positione* confecta, iuxta suetum morem, die 8 mensis Ianuarii anno 2013, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est, in quo prospero cum exitu disceptatum est an Servarum Dei mors verum martyrium fuisse. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 18 mensis Iunii anno 2013 habita, cui egomet ipse, Angelus Cardinalis Amato praefui, agnoverunt supradictas Servas Dei ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam confessam verum in odium fidei martyrium passos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Franciscus, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servarum Dei Mariae Assumptae (in saec.: Iulianae González Trujillano) et II Sociarum, Religiosarum Professarum Missionariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a. D. 2013.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA

Canonizationis Beati Ioannis Pauli II (Caroli Iosephi Wojtyła) Summi Pontificis (1920-2005)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Ioannes Paulus II (Carolus Iosephus Wojtyła) die 18 mensis Maii anno 1920 Guadovici in Polonia natus est. Vocatione ad vitam sacerdotalem percepta, studia Theologiae apud Seminarium clandestinum Cracoviense iniit et die 1 mensis Novembris anno 1946 presbyteratu est auctus. Dein in Urbem ad perficienda studia missus est; in patriam redux Theologiae Moralis et Ethicae apud Seminarium Maius Cracoviense, sicut et apud Facultatem Theologiae Lublinensem magistri munus explevit. Die 4 mensis Iulii anno 1958 ordinatus est Episcopus titularis Ombiensis et Auxiliaris Archiepiscopi Cracoviensis, postea anno 1964 eiusdem Sedis Archiepiscopus nominatus est ac deinde anno 1967, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus. Tandem ad Petri Sedem die 16 mensis Octobris anno 1978 Summus Pontifex electus est, Ioannis Pauli II sumpto nomine. Pontificatus eius peculiari miraque apostolica sollicitudine et pastorali navitate eminuit. Post diutinam infirmitatem, viribus infractis, die 2 mensis Aprilis anno 2005 pie in Domino quievit, summa sanctitatis fama circumdatus.

Summus Pontifex Benedictus XVI, qui eidem successit, die 19 mensis Decembris anno 2009 eum theologales, cardinales iisque adnexas virtutes in modum heroum coluisse decrevit, die 1 mensis Maii anno 2011 in numerum Beatorum eum referens.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram mulieris cuiusdam sanationem, quae mense Maio anni 2011 in urbe Sancti Iosephi in Costarica evenit. Haec enim Domina, dum mane ad ineundam operam se conferebat, vehementem cephaleam percipere coepit, quae procedente tempore adeo increbuit, ut nauseam quoque eidem afferret. In valetudinario, quo statim confugerat ad primam curationem habendam remedium quoddam illi suppeditatum est et quietis tempus servandum. Pro dolor, labentibus diebus, signa haec minime recesserunt, immo potius condiciones generales adeo

recruduerunt, ut cruciatus permolesti fierent. Ex clinicis inquisitionibus sedulo peractis sanguinis effluvium detectum est et coniectum aneurysma revelatum: itaque in nosocomium advecta est infirma, cuius valetudo semper gravior et curae adusque irritae videbantur. Praeterea, medici quamlibet chirugicam sectionem excluserunt, quam insidiosissimam atque infestam habebant. Praevidebatur enim immobilitas physica ac prognosis quoad ipsam vitam infausta, nam minima quoque fatigatio eam in mortis discrimen adducere posset.

His in asperrimis aerumnis, infirma ad divinum confugere statuit auxilium per Beati Ioannis Pauli II intercessionem, cuius imago in diversis domesticis aedibus conspiciebatur, sanationis impetrans donum. Maritus eius, qui anno 1983 inter custodes Beati Summi Pontificis in itinere ad nationem Costaricensem, eum comitatus est, una cum propinquis et amicis tantis orationibus se adiunxit. Interdum, dies Summi Pontificis beatificationis, cuius ritum, dum in Urbe celebrabatur, infirma televisionis ope participavit. Sancta Missa expleta, mulier obdormivit. Et sequenti die 2 mensis Maii anno 2011, simul ac experrecta est, Ioannis Pauli II denuo spectata imagine, corpore animoque adeo inenarrabiliter convaluit, ut e lecto surgere, ad culinam incedere et ientaculum viro apparare potuerit. Facultates neurologicae et physiologicae resipuerunt atque, nullo perseverante damno, in integrum sunt restitutae: mulier enim, repente convaluit, propinquis et medicis, qui postea visitaverunt eam, obstupescentibus ob hanc extraordinariam valetudinis restitutionem.

Congruentia temporis clarissime patuit, sicut et nexus inter invocationem Beati et sanationem dominae, quae exinde optima gaudet valetudine normalesque vitae consuetudines gerit.

De hac mira habita sanatione apud Tribunal Curiae Archiepiscopalis Sancti Iosephi in Costarica a die 20 mensis Novembris ad diem 2 mensis Decembris anno 2012 Inquisitio dioecesana habita est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 12 mensis Februarii anno 2013 probatae sunt.

Acta dein collecta examini et iudicio Collegii Medicorum Dicasterii subiecta sunt, quod in Sessione diei 28 mensis Februarii anno 2013 sanationem celerem, completam et duraturam, necnon inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit.

Die 10 mensis Aprilis anno 2013, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu factus est ac, die 2 mensis Iulii eiusdem anni, acta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui; et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Ioannis Pauli II (Carolus Iosephus Wojtyła), Summi Pontificis, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam dominae ab «aneurisma fusiforme dell'arteria cerebrale media destra con emorragia subaracnoidea, con* restitutio ad integrum *della parete vasale»*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 5 mensis Iulii a.D. 2013.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis drecretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 5 Iulii 2014. — Titulari episcopali Ecclesiae Iliberritanae, R.D. Aloisium Ferdinandum Rodríguez Velásquez, e clero archidioecesis Medellensis, ibique Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Caliensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Chusirensi, R.D. Lucam Mirosław Buzun, sodalem Ordinis Fratrum Sancti Pauli Primi Eremitae, hactenus Priorem Monasterii vulgo «Jasna Góra» Cestochoviae, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Calissiensis.

die 8 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sedunensi, R.D. Ioannem-Mariam Lovey, Congregationis Ss. Nicolai et Bernardi Montis Iovis sodalem, hactenus eiusdem Congregationis Praepositum Generalem.

die 9 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Stantianae, Exc.mum D. Ioannem Crippa, I.M.C., hactenus Episcopum titularem Acciensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Salvatoris in Brasilia.

die 11 Iulii. — Cattedrali Ecclesiae Barcinonensi in Venetiola, Exc.mum D. Georgium Hannibalem Quintero Chacón, hactenus Episcopum Margaritensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Coloniensi, Em.mum D. Rainerium Mariam S.R.E. Cardinalem Woelki, hactenus Archiepiscopum Metropolitam Berolinensem.

die 12 Iulii 2014. — Ecclesiae Cathedrali Castellanetensi, Exc.mum D. Claudium Maniago, hactenus Episcopum titularem Satalensem in Mauretania Caesariensi et Auxiliarem archidioecesis Florentinae, quem proinde a vinculo prioris Ecclesiae et huius officii solvit.

die 15 Iulii. — Archiepiscopali Ecclesiae Rossanensi-Cariatensi, R.D. Iosephum Satriano, e clero archidioecesis Brundusinae-Ostunensis, ibique hactenus Vicarium Generalem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Diocletianensi, R.D. Wojciech Załuski, Nuntium Apostolicum, quem archiepiscopali dignitate ornavit.

die 16 Iulii. — Episcopum Coadiutorern Santosensem, Exc.mum D. Tharsicium Scaramussa, S.D.B., hactenus Episcopum titularem Segiensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia.

— Ordinariatui Militari Peruvianae Rei Publicae, Exc.mum D. Ioannem Carolum Vera Plasencia, M.S.C., hactenus Episcopum Praelatum Territorialem Caraveliensem.

die 23 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Zedocanae, R.D. Ioannem Kot, O.M.I., hactenus in dioecesi Raymundiana paroeciae vulgo «*Sagrado Coração de Maria*» dictae Parochum.

die 25 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Sancti Ferdinandi, Exc.mum D. Florentinum Galang Lavarias, hactenus Episcopum Ibanum.

— Cathedrali Ecclesiae Copiapoënsi, R.D. Caelestinum Aós Braco, O.F.M. Cap., hactenus in dioecesi Sanctae Mariae Angelorum Vicarium Paroecialem paroeciae vulgo *S. Francisco de Asis.*

— Cathedrali Ecclesiae Dipologanae, R.D. Severum C. Caermare e clero eiusdem dioecesis, ibidemque hactenus paroeciae Sancti Antonii Administratorem.

— Cathedrali Ecclesiae Orientalis Veris-Paranatinguensi, noviter erectae, Exc.mum D. Theodoricum Ioannem Christophorum Byrne, S.P.S., hactenus Episcopum Guiratingensem.

ACTA BENEDICTI XVI PP.

LITTERAE APOSTOLICAE

Venerabili Servo Dei Gabrieli Mariae Allegra Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Da mihi, quaeso, Pater, Scripturarum intelligentiam, (...) fac ut per eas intelligam divinam paedagogiam, qua tu non tantum unum populum, sed universum humanum genus ad Te adque tuum Christum conducis».

Ita precabatur Venerabilis Servus Dei Gabriel Maria Allegra, qui totam suam vitam studio Sacrarum Scripturarum dicavit. Mysterio Verbi Incarnati attractus, illud amanter contemplabatur magis quam aliam quamlibet veritatem, eiusque discipulus et apostolus verbo et exemplo effectus.

Venerabilis Servus Dei natus est die XXVI mensis Decembris anno MCMVII in pago *S. Giovanni La Punta*, archidioecesis Catanensis, ex familia paupere at fide catholica solida divite. Die V mensis Ianuarii insequentis anni in fonte baptismali est regeneratus atque Ioannes Stephanus appellatus. Chrismatis sacramentum die XXIV mensis Decembris anno MCMXVI suscepit. Undecim annos natus ingressus est Collegium Fratrum Minorum in urbe. Completo anno novitiatus in loco *Bronte*, prima vota religiosa anno MCMXXIV nuncupavit. Anno MCMXXVIII, cum alumnus esset theologiae apud Collegium Internationale Sancti Antonii Romae, novit Ecclesiae catholicae in Sinis completam deesse conversionem Veteris Testamenti. Hac notitia percussus, decrevit se illud arduum opus «Biblia» in linguam Sinensem convertendi perfecturum, ut huic populo offerret «gaudium legendi in proprio sermone epistulam quam de caelis iis Pater caelestis miserat».

Die XXV mensis Augusti anno MCMXXIX emisit vota sollemnia, ac die XX mensis Iulii anno MCMXXX suscepit ordinationem presbyteralem. Demum

accepit a superioribus licentiam Sinas petendi. Quo pervenit anno MCMXXXI ibique circiter XL per annos est moratus. Optime sermonem Sinensem didicit ususque et mores huius nobilis Nationis sumpsit, quam alteram suam patriam consideravit. Firma fides atque franciscalis humilitas praecipuae erant species eius sanctitatis. Cum esset vir vere biblicus, pro fide dereliquit suam terram, profecturus quo Deus eum vocaret, ut seminator fieret ac famulus divinae Revelationis. Pro fide suscepit ingens opus «Biblia» in linguam Sinensem vertendi. Sacras Litteras convertens, magnopere sollicitus erat ut maxima servaretur fidelitas texto primitivo. Saepe ad cuiusdam vocabuli rectam interpretationem inveniendam nonnullos per dies studiosum opus dabat una cum suis cooperatoribus. Sancti Francisci Assisiensis dignus filius, in Ecclesiam filialem amorem coluit. Cum sentiret cum Ecclesia, desiderabat Scripturas sub lumine Patrum Ecclesiae et Pontificum Magisterii commentare. Opus eius conversionis Bibliorum feliciter completum est anno MCMLXI in urbe Hongcongensi. Si cultura eius magna fuit, maior tamen fuit eius humilitas. Opus perfeetum Sacrarum Scripturarum conversionis numquam sibimet soli ascripsit. Cum illud praesentaret, semper plurali «nos» utebatur, quo in lucem fratrum suorum cooperatorum merita poneret. Magistra humilitatis ipsi Mater Dei exstitit. Propositum illi fuit omnia per Mariam facere, eam imitari, in ea vivere atque pro eius gloria operari. Persuasum habuit opus Bibliorum conversionis, acerbis ac pluribus superatis difficultatibus, feliciter ad finem adductum esse propter singularem assistentiam Immaculatae Virginis Mariae. Sanctitas eius non effulgebat neque gestus strepitu habuit. Ipse vixit suam amans parvitatem. Etiamsi Bibliis convertendis intense incubuisset, pastoralem navitatem haud neglexit, quae laetanter manifestabatur in praedicatione, paenitentium confessione excipienda atque spiritali animarum moderatione. Magna sua caritate omnes amplectebatur, nullam nationis et culturae distinctionem faciens. Peculiari affectu circumdabat pauperes et aegrotantes, praesertim leprosos, suos praedilectos. Post breve tempus aegrotationis die XXVI mensis Ianuarii anno MCMLXXVI obiit, dum commentarium compleret ad Psalmum LIV.

Ob fusam sanctitatis famam annis MCMLXXXIV-MCMLXXXVI Episcopus Sciamchiamensis processum cognitionalem celebravit, quem comitabantur pro-

cessus rogatoriales Taipe, Cataniae et Romae. Quorum validitas iuridica agnita est per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XXVII mensis Martii anno MCMLXXXVII datum. Deinde die X mensis Maii anno MCMXCIV celebratus est Congressus peculiaris Consultorum theologorum, positivo cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria adstantes die IV mensis Octobris anno MCMXCIV confirmaverunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroico in gradu exercuisse. Die XV mensis Decembris eiusdem anni Decessor Noster beatus Ioannes Paulus II Decretum de virtutibus heroicis promulgavit.

Excussa est deinde quaedam mira asserta sanatio, quae scientifice inexplicabilis iudicata est a Consultoribus medicis memoratae Congregationis die XXVIII mensis Iunii anno MMI. Consultores Theologi in Congressu die XXII mensis Ianuarii anno MMII habito huiusmodi sanationem intercessioni Venerabilis Servi Dei tribuerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria, die V subsequentis mensis Martii, miram hanc sanationem iudicaverunt divinitus patratam. Quare memoratus Decessor Noster beatus Ioannes Paulus II Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecit ut Decretum super miro ederet die XXIII mensis Aprilis anno MMII. Nos Ipsi vero statuimus ut ritus beatificationis Iacae Regali in Sicilia die XXIX mensis Septembris anno MMXII perageretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Gabrielem Mariam Allegra in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Antonini Raspanti, Episcopi Iaciensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Gabriel Maria Allegra, presbyter ex Ordine Fratrum Minorum, humilis discipulus Divinae Sapientiae, fidelis Sacrarum Scripturarum apostolus, actuosus missionarius in Terris Orientis, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima sexta mensis Ianuarii, qua in caelum ortus est, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, quibuslibet contrariis rebus minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Septembris, anno MMXII, Pontificatus Nostri octavo.

De mandato Summi Pontificis
✠ THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 201.673

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

CONCHENSIS IN HISPANIA

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Iosephi Xaverii Gorosterratzu et V Sociorum e Congregatione Sanctissimi Redemptoris († 1936-1938)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Martyres sive propter vulnera innumera, quae pro Iesu Christo passi sunt, a nobis amantur sive etiam ut animum nostrum ad fortitudinem pro ipso patiendi referamus. Si ergo martyres compassionem et amorem emerent, quia innocentes et sancti, eo magis nobis compatiendus et amandus Iesus Christus, qui sanctitas et innocentia ipsa erat et mortuus est super miserum lignum, ut, quas commisimus, satisfaceret culpis» (cf. S. Alphonsus Maria de' Liguori, *Opera*, IV, Augustae Taurinorum, 1880, p. 646).

Haec Doctoris Zelantissimi adhortatio, ut in plenitudine benignitatis cum amore congruamus, quem Iesus Christus obtulit hominibus usque ad cruentam mortem Crucis, omnem eius missionalem navitatem et scripta intinxit et cardo est Congregationis Sanctissimi Redemptoris gratiae, familiae scilicet religiosae, quam ipse pro alto huius salutaris amoris erga derelictissimos intellectu enuntiando fundavit. In eo praecipuum Servorum Dei testimonium admodum intellegi potest, qui, cruenta persecutione contra religionem in Hispania dimidia quarta vicesimi saeculi decade grassante, pericula tormentaque et impares calumnias fortiter usque ad effusioniem sanguinis oppetentes exemplum suum praebuerunt perfectae adhaesionis Christo crucifixo.

Huius agminis martyrum e communitate conchensi Congregationis Sanctissimi Redemptoris caput est Pater Iosephus Xaverius Gorosterratzu Jaunarena, qui die 7 mensis Augusti anno 1877 in vico *Urroz* in Navarra, intra

fines Archidioecesis Pampilonensis, natus est et, dum decimum septimum agebat aetatis annum, consilium cepit, ut Congregationem Sanctissimi Redemptoris ingrederetur, quapropter die 8 mensis Septembris anno 1896 vota perpetua emisit et die 28 mensis Septembris anno 1903 presbyteratu auctus est. Vir eximiae eruditionis, probatus fuit missionarius callidusque confessarius et moderator spiritualis exauditus. Persecutionis causa, mense Iulii anno 1936, ei opus fuit communitatem religiosam una cum socio eius Fratre Victoriano Calvo Lozano deserere et primum apud familiam quamdam confugit, dein in Seminarium. Die 10 mensis Augusti anno 1936, a seditiosis armigeris arreptus, ad coemeterium conchensem ablatus est et ibidem, dum persecutores ignoscebat, plumbis interfectus.

Pater Cyriacus Olarte Pérez in vico *Gomecha* prope Alabam intra fines dioecesis Victoriensis die 8 mensis Februarii anno 1893 natus est e familia Christiana pietate funditus informata. Iam inde a pueritia ad presbyteratum relatus, Congregationem Sanctissimi Redemptoris ingressus est, in qua anno 1911 vota religiosa emisit. Die 29 mensis Iulii anno 1917 presbyteratu auctus, primum navitatem missionariam explevit in Mexico; in Hispaniam dein redditus, ad apostolatum missionarium et ministerium reconciliationis se contulit. Die 31 mensis Iulii anno 1936, arreptus est et Conchae prope sacellum Beatae Mariae Virginis Angustiarum plumbis transfossus.

Pater Iulianus Pozo y Ruiz de Samaniego in vico *Payueta* prope Alabam intra fines dioecesis Victoriensis die 7 mensis Ianuarii anno 1903 natus est. Congregationem Sanctissimi Redemptoris ingressus, anno 1920 vota religiosa professus est et, die 27 mensis Septembris anno 1925, presbyteratu auctus. Phthisi correptus, infirmitatem patienter suscipere valuit, orationi ministerioque reconciliationis et aegrotis curandis toto corde indulgens. Persecutionis causa, mense Iulii anno 1936, ei opus fuit communitatem religiosam deserere et primum apud familiam quamdam confugit, dein in Seminarium. Die 9 mensis Augusti anno 1936, arreptus est et super viam, quae e Concha ad vicum *Tragacete* ducit, dum coronam marialem recitabat, plumbis transfossus.

Pater Michael Goñi Ariz in vico *Imarcoain* in Navarra intra fines archidioecesis Pampilonensis die 27 mensis Aprilis anno 1902 natus est. Inde a pueritia vocationem ad sacerdotium percepit et, Congregationem Sanctissimi Redemptoris ingressus, anno 1920 vota religiosa professus est et,

die 27 mensis Septembris anno 1925, presbyteratu auctus. Licet infirma esset valetudine et animo verecundo, validum indefessumque se praebuit in missionibus ad populum Evangelii praeconem. Die 31 mensis Iulii anno 1936, ab armigeris seditiosis arreptus est et plumbis transfossus, una cum Patre Cyriaco Olarte Pérez multas horas spiritum trahens usque ad mortem derelictus.

Frater Victorianus (Victor) Calvo Lozano in vico *Horche* prope Guadalaiaram intra fines archidioecesis Toletanae die 23 mensis Decembris anno 1896 natus est. Dum vicesimum quartum aetatis agebat annum, contra pervicaciam familiae Congregationem Sanctissimi Redemptoris ingressus est et anno 1920 vota religiosa fratris coadiutoris emisit. Communitati conchensi addictus, sacrarii custodis atque ostiarii muneribus functus est. Die 10 mensis Augusti anno 1936, una cum Superiore communitatis, Patre Iosepho Xaverio Gorosterratzu, ab armigeris seditiosis arreptus est et prope coemeterium Conchense plumbis transfossus.

Pater Petrus Romero in vico *Pancorbo* intra fines dioecesis et Provinciae Burgensis die 28 mensis Aprilis anno 1871 natus est. Congregationem Sanctissimi Redemptoris ingressus, anno 1890 vota religiosa professus est et, die 29 mensis Februarii anno 1896, presbyteratu auctus. Bello civili ineunte, ei opus fuit communitatem religiosam deserere et apud familiam quamdam confugere, stipem per vias civitatis quaeritare selegens, ut persecutores effugeret et ministerium exercere perseveraret. Pluries ab armigeris seditiosis arreptus, mense Iunii anno 1938 in carcerem coniectus est, ubi die 4 mensis Iulii inedia correptus occubuit.

Super horum sex Servorum Dei caedem, quorum fama martyrii in communitatem ecclesialem admodum incessit, apud Curiam Episcopalem Conchensem in Hispania inter annos 1962 et 1966 Processus Informativus celebratus est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 26 mensis Martii anno 2000 probatae sunt. *Positione* confecta, iuxta suetum morem, die 11 mensis Iunii anno 2011, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est, in quo prospero cum exitu disceptatum est an Servorum Dei mors verum martyrium fuisse. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 6 mensis Novembris anno 2012 habita, cui egomet ipse, Angelus Cardinalis Amato praefui, agnoverunt

supradictos Servos Dei ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam confessam verum in odium fidei martyrium passos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Iosephi Xaverii Gorosterratzu Jaunarena, Cyriaci Olarte Pérez, Iuliani Pozo y Ruiz de Samaniego, Michaelis Goñi Ariz et Petri Romero Espejo, presbyterorum, atque Victoriani (Victoris) Calvo Lozano, religiosi coadiutoris, e Congregatione Sanctissimi Redemptoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris a.D. 2012.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Romano Pontefice ha compiuto una visita pastorale alle Diocesi di Campobasso-Boiano ed Isernia-Venafro il giorno 5 luglio.

Sua Santità si è reso in visita alla Diocesi e alla Città di Caserta nei giorni 26 e 28 luglio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

5 luglio 2014 S.E.R. Mons. Antonio Arcari, Arcivescovo titolare di Cecili, finora Nunzio Apostolico in Mozambico, *Nunzio Apostolico in Costa Rica*.

11 » » S.E.R. Mons. Anselmo Guido Pecorari, Arcivescovo titolare di Populonia, Nunzio Apostolico in Bulgaria, *Nunzio Apostolico in Macedonia*.

12 » » S.E.R. Mons. Luigi Bianco, Arcivescovo tit. di Falerone, finora Nunzio Apostolico in Honduras, *Nunzio Apostolico in Etiopia*.

15 » » Il Rev.do Mons. Wojciech Załuski, Consigliere di Nunziatura, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Diocleziana, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Burundi*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco:

17 giugno 2014 ha nominato gli Eccellentissimi Monsignori: Bruno Forte, Arcivescovo di Chieti-Vasto (Italia); Angelo Vincenzo Zani, Arcivescovo tit. di Volturno, Segretario della Congregazione per l'Educazione Cattolica; i Reverendi: Suor Marcella Farina, F.M.A., Docente Ordinario di Teologia Fondamentale e Sistematica nella Pontificia Facoltà di Scienze dell'Educazione « Auxilium », Roma; P. José Cristo Rey García Paredes, C.M.F., Vice Direttore dell'Istitu-

17 giugno 2014 to Teologico di Vita Religiosa di Madrid (Spagna); P. Robert J. Geisinger, S.I., Docente di Diritto Canonico presso la Pontificia Università Gregoriana, Procuratore Generale della Compagnia di Gesù, Roma; P. Loie-Marie Le Bot, O.P., Decano della Facoltà di Diritto Canonico dell'Istituto Cattolico di Toulouse (Francia); Suor Maria Domenica Melone, S.F.A., Rettore Magnifico della Pontificia Università «Antonianum», Roma; P. Pier Luigi Nava, S.M.M., Docente di formazione alla vita consacrata nella Pontificia Facoltà di Scienze dell'Educazione «Auxilium», Roma; Sac. Jesu Maria James Pudumai Doss, S.D.B., Docente straordinario nella Facoltà di Diritto Canonico della Pontificia Università Salesiana, Roma; P. Bruno Secondin, O.Carm., Docente ordinario emerito di Spiritualità moderna e Fondamenti di vita spirituale presso la Pontificia Università Gregoriana, Roma; P. Yuji Sugawara, S.I., Decano della Facoltà di Diritto Canonico della Pontificia Università Gregoriana, Roma; le Illustrissime Signorine: Dott.ssa Elena Lucia Dolchi, consacrata nell'*Ordo Virginum* dell'Arcidiocesi di Milano, Patrono stabile del Tribunale Ecclesiastico Regionale Lombardo, Milano (Italia); Dott.ssa Lourdes Grosso García, M. Id., Direttrice del Segretariato della Commissione Episcopale per la Vita Consacrata della Conferenza Episcopale Spagnola, Madrid (Spagna), *Consultori della Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica, per un quinquennio.*

» » » ha confermato Consultori della medesima Congregazione gli Eccellentissimi Monsignori: Filippo Iannone, Arcivescovo-Vescovo emerito di Sora-Aquino-Pontecorvo, Vicegerente di Roma; Paolo Martinelli, Vescovo tit. di Musti di Numidia, Ausiliare di Milano; i Reverendi: Suor Maria Grazia Bianco, M.d.S.; P. Amedeo Cenemi, F.d.C.C.; P. Fabio Ciardi, O.M.I.; P. Gianfranco Ghirlanda, S.I.; P. Santiago María González Silva, C.M.F, *per un altro quinquennio.*

24 » » ha confermato l'Ill.mo Prof. Avv. Piero Antonio Bonnet, *Giudice del Tribunale dello Stato della Città del Vaticano, «ad triennium»* .

1 luglio » ha nominato gli Ecc.mi Monsignori: Carlos José Ñáñez, Arcivescovo di Córdoba (Argentina); Rodolfo Valenzuela Núñez, Vescovo di Vera Paz e Presidente della Conferenza Episcopale (Guatemala); Gerhard Feige, Vescovo di Magdeburg (Rep. Federale di Germania) *Membri del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, ad quinquennium.*

1 luglio 2014 — ha inoltre nominato i Rev.di Signori: Cristiano Bettega, Direttore dell'Ufficio Nazionale per l'Ecumenismo e il Dialogo Interreligioso della Conferenza Episcopale Italiana; Héctor Scerri, Presidente della Commissione Teologica di Malta e della Commissione Ecumenica Diocesana (Malta); Michael Joeng-Hun Shin, Incaricato per l'Ecumenismo nella Conferenza Episcopale Coreana; Fernando Rodríguez Garrapucho, Direttore del Centro di Studi Orientali ed Ecumenici Juan XXIII presso la Pontificia Università di Salamanca (Spagna); il Rev.do Fratello Enzo Bianchi, Priore del Monastero di Bose (Italia); i Rev.di Padri: Franck Lemaitre, O.P., Direttore del Servizio Nazionale per l'Unità dei Cristiani della Conferenza Episcopale Francese; John Crossin, O.S.F.S., Direttore Esecutivo del Segretariato per le questioni ecumeniche e interreligiose della Conferenza Episcopale degli Stati Uniti d'America; Jorge A. Scampini, O.P., Professore di Ecumenismo presso la Facoltà di Teologia della Pontificia Università Cattolica di Buenos Aires (Argentina); Milán Žust, S.I. (Slovenia), Docente presso la Facoltà di Missiologia della Pontificia Università Gregoriana in Roma; la Rev.da Suor Maria Ha Fong Ko, F.M.A. (Macau), Docente di Esegesi Neotestamentaria presso la Pontificia Facoltà di Scienze dell'Educazione Auxilium in Roma e presso l'*Holy Spirit Seminary* di Hong Kong *Consultori del medesimo Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, ad quinquennium.*

— ha poi confermato l'Em.mo Cardinale Karl Lehmann *usque ad octogesimum annum*, e in *aliud quinquennium* gli Em.mi Cardinali: Peter Kodwo Appiah Turkson, Seán Baptist Brady, Jean-Louis Tauran, Leonardo Sandri; gli Ecc.mi Monsignori: Paul Nabil El-Sayah, Josaphat Louis Lebulu, Stanislav Hočevar, Hyginus Kim Hee-joong, Florentin Crihălmeanu, Cyprien Mbuka, *Membri del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani.*

— ha anche confermato gli Ecc.mi Monsignori: Luis Francisco Ladaria Ferrer, Dimitrios Salachas, Barthélemy Adoukonou; i Rev.di Signori: Mons. Piero Coda, Mons. Marco Gnavi, Angelo Matteis, George Augustin, S.A.C.; i Rev.di Padri: William Henn, O.F.M. Cap., Thomas Pott D., O.S.B.; gli Ill.mi Signori: Prof.ssa Eva-Maria Faber, Prof.ssa Barbara Hallensleben, Sig. Volker Götz, Prof. Wolfgang Thőnissen, Prof. Dietmar W. Winkler *Consultori del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, in aliud quinquennium.*

8 luglio 2014 ha confermato S.E.R. il Signor Cardinale Angelo Comastri, S.E.R. il Signor Cardinale Stanislaw Ryłko e l'Ecc.mo Mons. Marcello Semeraro, *Membri della Congregazione delle Cause dei Santi «in aliud quinquennium».*

15 » » ha confermato, S.E.R. Mons. Enrico dal Covolo, Vescovo titolare di Eraclea*, nell'incarico di Rettore Magnifico della Pontificia Università Lateranense in Urbe*, *per un altro quadriennio.*

16 » » ha nominato S.E.R. Mons. Bernardito C. Auza, Arcivescovo titolare di Suacia, Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione delle Nazioni Unite (O.N.U.), *Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione degli Stati Americani (O.A.S.).*

Si rende noto che il 22 luglio 2014 è stato confermato il Rev.do Mons. Luigi Falcone, del Clero dell'Arcidiocesi di Cosenza-Bisignano, nell'incarico di *Giudice esterno del Tribunale di Prima Istanza per le cause di nullità di matrimonio della Regione Lazio.*

NECROLOGIO

5	luglio	2014	Mons. Johannes Jobst, Vescovo em. di Broome (*Australia*).
6	»	»	Mons. Estanislau Amadeu Kreutz, Vescovo em. di Santo Ângelo (*Brasile*).
14	»	»	Mons. Guillermo Leaden, S.D.B., Vescovo tit. di Teudali e ausiliare em. di Buenos Aires (*Argentina*).
15	»	»	Mons. Pietro Giacomo Nonis, Vescovo em. di Vicenza (*Italia*).
21	»	»	Mons. Robert William Donnelly, Vescovo tit. di Garba e già Ausiliare di Toledo (*Stati Uniti d'America*).
25	»	»	Mons. Pedro Luís António, Vescovo em. della diocesi di Kwito-Bié (*Angola*).
»	»	»	Mons. Spiridon Mattar, Vescovo em. dell'Eparchia Nossa Senhora do Paraíso em São Paulo dei Greco-Melkiti (*Brasile*)
27	»	»	S. Em. il Card. Francesco Marchisano, Diacono di S. Lucia del Gonfalone.